Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ipso parti sumebat cibum. De quodam solitario nomine Machete.

Vidimus alium senem Machetem nomine solitarium, cui hanc gratiam donaverat dominus, ut siquando in conventu fratrum per totam noctem et diem ageretur collatio spiritalis, numquam ille somno opprimeretur; si quis vero detractionis verbum seu ociosum temptasset inferre, statim ille in somnum cadebat. Hunc etiam senem cum aliquando epistole patris eius ac matris, amicorumque multorum de provintia Ponti transmisse fuissent, accipiens grande fasciculum litterarum, diuque apud se ipsum volvens ait: Quantarum cogitationum causa erit mihi harum lectio, que me vel ad inane gaudium vel ad tristicias infructuosas impellet! Quantis diebus horum recordatione qui scripserunt intentionem pectoris mei apposita contemplatione revocabunt? Et hec volvens in suo pectore non solum nullam resolvere epistolam diffinivit, sed ne ipsum quidem fasciculum resignare, ne scilicet eorum qui scripserant vel nomina recensendo, vel vultus recordando, spiritus sui intentionem cessaret. Itaque ut eum constrictum susceperat, igni tradidit concremandum: Ite, inquiens, cogitationes patrie, concremamini, nec me ulterius ad illa que fugi revocare temptetis. De abbate Theodoro.

Vidimus et alium abbatem Theodorum summa sanctitate ac scientia preditum, non solum actuali vita, sed etiam noticia scripturarum, quam ei non tam studium lectionis contulerat, quam sola puritas cordis. Hic cum explanationem cuiusdam obscurissime questionis inquireret, septem